



VIII, 90.

2.830.



212.

3

Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM JURIDICAM

De

# MORGENGABA ZITTAVIENSI,

Occasione Statuti

&

MAGNIFICO JCTORUM ORDINIS INDULTU  
SUB PRÆSIDIO

DN. ANDREÆ MYLII, J.U.D.  
& Institut. Imperial. P.P.

Patroni & Doctoris sui devenerandi,

In Celeberrima hac Philuræa,

Ad diem OCTOBRIS Anno M. DC. LXXXIV.  
ab hor. VIII. ad XII.

Solenniter ventilandam proponit

AUTOR

JOH. HENRICUS à LANCKISCH,  
Zittav. Patrit.

---

LIPSIAE, Literis Banckmannianis.

Agnoscite vestrum Israëlitam  
COLUMNÆ REIPUBL. ZITTAVIENSIS  
SPLENDIDISSIMÆ

**CONSUL - REGENS,  
CONSUL - SYNDICE,  
PRÆTORES  
SCABINI  
SENATORES.**

h.e. Sponsum,  
Qui, uti Deus prohibebat Israëlitis ducere Exteras,  
Præsenti vinculo cupit copulari cum Patriâ,  
claro documento  
Neminem nisi DEO & PATRIÆ magis esse obstrictum.  
Jam offert suam Morgengabam,  
Nimis forsan matutinè, diligenter tamen conquisitam;  
Defiderat celebrare sponsalia de futuro  
Cum minor ætas  
Et parva studiorum supellex vix indulgeat ea de præ-  
fenti,  
Reqviturus scilicet posthac media  
Per laborem & industriam,  
Ut novam hanc Sponsam debitè sustentet,  
h.e.  
Consiliis & studiis fortunam Ejus conservet seu augeat.  
Vere-

Veretur eqvidem  
VOS, Patriæ Proceres, aggredi  
**Q**vod absq;ve Vestro Indultu Statuta suæ operæ de-  
stinaverit,  
Sed solatur rursus Vesta Benignitas,  
Qvæ nunquam deserit desertum.  
Sperat igitur VOS, Testes matrimonii hujus cle-  
mentiores,  
Lectores levissimi operis faventiores,  
Patronos suæ promotionis certiores.  
Et hac fiduciâ fretus  
Summas DEO exfolvit gratias,  
**Q**vod INCLYTUM SENATUM ZITTAV.  
Consiliis celebrem, gubernaculo felicem, numero  
integrum,  
Clementer haetenus reddiderit.  
Utinam MÖLLERUS, CONSUL Tertius  
Viduus, mox nonagenarius, cœlestis nunc Sponsus,  
Soluto naturæ debito scissuram non fecisset!  
Sed faxit DEUS, ut Ille moriendo sit primus, sit ultimus,  
Nec habeat, qvi seqvantur prius,  
Anteqvam Senectutem hanc sua ætate adæqvaverint,  
Floreat SENATUS, splendeat Curia, gaudeat  
Civitas,  
Sic clamat, sic vovet,  
Sic se commendat  
minus commendabilis  
**AUTOR.**

A 2

Tenor



# Tenor Statuti Zittav.

De

## M O R G E N G A B A.

Sub Rubr. Von Ehelichen Gelübden und Hochzeiten.

**G**Or allen Dingen sollen alle heimliche Ge-  
lübde/ so unbewußt und unbesfragt der El-  
tern/ Bornmünden und nächsten Freunden/ mit  
Wittwen oder Jungfrauen sich zutragen/ beh-  
ernster Straß und Poen verboten seyn. So viel  
aber die Ehe-Stiftung und Beredung der Ehe  
und Morgen-Gabe betrifft/ soll ein ieder Bürger  
und Einwohner/ er sey Vater/ oder Bornmund/  
oder Blut-Freund/ der seine Tochter/ Mündlein/  
oder Freundin/ einem Wittwer oder Junggesellen  
ehelichen zugesagt und zu verheyrathen bedacht/  
auf den Tag der Verlobung und Ehe-Beredung/  
vom Bräutigam die Morgen-Gabe/ nach der  
Stadt altem Herkommen und Gebrauch/ abso-  
dern; Und wo die Beredung vollbracht und be-  
schlossen / dieselbe bräuchlicher Weise mit dem  
Handschlage verbürgen / wo auch von nöthen/  
verschreiben lassen; und wo solches übergangen/  
soll niemand zur Zahlung der Morgen-Gabe  
verpflicht seyn. ic.

tom T

s. A

PRO-



## PROOEMIUM.



Unic平alibus plerumqve Civitatibus Jus  
sibi qvoddam circa statuta facienda con-  
stitutum esse jam in propatulo est: Et  
tanto qvidem etiam vigore, ut ea con-  
dita & promulgata non solum instar le-  
gum serventur, sed etiam ipfis legibus, nisi utilitati  
publicæ repugnant, præponantur, qvod Romanis æqvè  
ac hodiernis moribus sanctè confirmatum patet. Cum  
igitur in eligendo Disputationis themate omnino solli-  
citus nullam prorsus materiam invenire valuerim,  
de qva non veritus essem, crambem vel centies co-  
ctam iri adductum; tandem recordatus dulcissimæ  
meæ Patriæ non dubitare licuit, Inclytam hanc Remp.  
fuis qvoqve privilegiis & juribus singularibus gaudere.  
Qvamobrem credidi, me optimè consulturum,  
si ex Statutis, qvæ ibi vigent, thema qvoddam accer-  
serem, illudqve elaboratum publicæ disquisitioni tra-  
derem, cum ea præcipue iis sunt addiscenda, qvibus  
cordi est, Patriæ commodum aliquando observare,  
imò turpe sit Patritio, Nobili & causas oranti jus, in  
qvo versatur, ignorare, *l. 43. ff. de Orig. Jur.* Inter alia  
vero, qvæ deprehendi, imprimis placuit nobilissimum  
illud de MORGENGABA. Et qvò certius credo hoc  
ipsum à nemine adhuc fuisse tentatum, eò benignio-  
rem qvoqve me naeturum lectorem & Interpretēm

A 3

spes

spes est. Qvod si verò qvædam B. L. minus recte elaboraverim, nec ex voto, uti exposcit substrata materia, satisfecerim, Tuæ humanitati tantum confido, Te non Voluntatem, qvin potius imbecillem meam ingenii facultatem esse excusaturum. Tu autem Fons & Origo omnium bonorum, largire dona spiritualia, ut cœptis omnia ad Tui gloriam, meamque salutem feliciter succedant.

## SECTIO PRIOR

De

# MORGENGABA ZITTA- VIENSI CONSTITUENDA.

### THES. I.

**A**ntequam Nos ad specialiorem Tractationis partem accingamus, operæ pretium duximus, in genere prius delibare Morgengabam, qvam in Germania & præsertim in terris Saxonici undiqvaqve usu esse receptam deprehendimus, ut eâ cognitâ facilius innotescere possit, qvid Nos statutariâ ac singulari hâc Morgengabâ intendere conemur.

### TH. II.

Et verò Morgengabam ex duobus voculis germanicis compositam cernimus, Morgen / qvod manè seu matutinum, & Gabe / Donum, qvafsi Donum matutinale, reservato Idiomate germanico, qvod in jure nostro non infreqvens est, cum naturâ rerum conditum est, ut plura sint negotia qvam vocabula *l. 4. ff. præf. Verb.* adeòqve qvocunque saltem modo commodissimè fieri potest, compensentur; Cujus derivationis exempla plura exhibet *BESOLD. thes. præct. voc. Ganerben/ Schriftsassen/ Amptsassen* &c. Nec è contrariō à Latinis pauciora exhibentur, qvæ teutonico ore adhuc repetimus, & passim evolvi possunt in *BESOLD. l. c. WEHN. Obs. præct. aliisq;* sub voce Linie, Testament. &c. Græcè οὐσίων, germanicè verò Morgen-

Morgengap/ sive Morgengheb/ vel secundum idioma nostrum, Mor-  
gen-Gabe appellatur. HARTM. PIST. lib. 1. qv. 44. n. 1.

TH. III.

Accipitur autem Verbum Morgengabæ vel pro eō, qvod  
uxori nobili ex bonis mariti defuncti ex dispositione Juris Saxonici  
debetur, ad qvam refertur alles Feldgångige Weibliche Vieh/ als  
Kühe mit den Kälbern/ Ziegen/ Schweine/ und Sau-Mütter/ die vor  
den Hirten gehen / Landr. l. 1. art. 24. in pr. Rothschütz / part. 3.  
art. 17. n. 1. seqq. Dn. CHRISTIANUS GASTELIUS, Specul. Jur.  
Univ. c. 25. n. 195. pag. 422. Vel pro donatione à Sponso Sponsæ alterâ  
nuptiarum die in præmium amissæ Virginitatis facta Landr. l. 1. art. 20.  
STRUV. ex. 30. th. 42. Vel deniqve pro re à Marito Uxori, vel Pa-  
tri, Curatori, Cognatis Ejus non existentibus liberis in casum futuræ  
mortis promissâ. Qvæ significatio hujus est loci.

TH. IV.

Quemadmodum autem vana & tædiosa videretur perscrutan-  
tis lectio , imò inutilior scribentis meditatio , si ea negligantur sine  
qvibus cætera vix ac ne vix qvidem intelligi possunt, necessarium  
omnino duximus, in antecessum apponere hujus Definitionem. Sed  
cum omnis Definitio in jure nostro periculosa sit, juxt. l. 202. ff. de  
R. J. & parum sit, qvin unica , etiam levissima Circumstantia eam  
subvertere queat , in præsenti forsan excusabimur , ut aliqualem,  
sufficientem tamen & captu facilem descriptionem apponere anni-  
tamur. Nec putamus, qvicqvam in obscuro mansurum, si facia-  
mus sequentem. Morgengaba Zittaviensis est res , à Spon-  
so Sponsæ, vel Patri, Curatori , Cognato ejus , non  
existentibus liberis in casu in futuræ mortis promissa.

TH. V.

Causa Efficiens Remota est Senatus Zittaviensis,  
qui sine consensu Civium perpetuam statuendi habet licentiam. Li-  
cet enim Civitates provinciales non gaudeant superioritate territo-  
riali, sed Principibus, in qvorum territorio existunt, sunt subjectæ,  
nihilominus tamen ipsis qvædam statuendi licentia competit, etiam  
absqve Superioris confirmatione. cap. 1. de Const. in 6. cap. 19. x. de  
Jurjur. scil. de iis, qvæ administrationem & jurisdictionem Civitatis  
concer-

concernunt. MEVIUS ad Jus Lub. qv. prælim. 2. n. 43. BRUNNEMAN. ad L. 1. C. de Summa Trinit. modo jurisdictione & mero imperio sint investitæ per Principem COLER. de process. execut. part. 1. c. 3. n. 12. seqq. ZIEGLER. ad Calvol. §. Civitas, concl. 1. n. 18. Secus esset, si de eo, quod jurisdictionem & jus, quod habet Magistratus, egreditur, statuere velit Civitas. Sic enim Confirmatio est necessaria. Unde sicuti priori casu Statuta Legis vim non habent (nisi fortè latissimâ significatione eadem leges appellare velimus) ita posteriori naturam ejus omnino induunt, cum ista non tam ab ipsa Civitate, quam potius ab eo, qui summum tenet Imperium profecta videantur. Vid. omn. Dn. ZIEGLER. de Jur. Maj. l. 1. c. 3. apb. 16. seqq.

#### TH. VI.

Causa Efficiens proxima sunt Personæ hanc Morgengabam constituentes, quales sunt ex unâ parte Sponsus, ex alterâ verò Sponsa. Unde facile patet, quod omnes intelligamus, inter quas Sponsalia consistere queunt. Et quidem quoad Sponsum nil refert an primas an verò secundas nuptias contrahat. Causa enim finalis hujus juris in eo, ut post Mortem Mariti ex bonis ejus aliquid Uxor superstes acquirat, consistit, quam utroque in casu militare per se satis est manifestum. Hoc tamen observatō, ut Sponsus Vidiuus, liberis prioris matrimonii maternam assignet hæreditatem, cuius Usuum fructum tamen Jur. Civ. ad dies Vitæ l. 1. 2. C. de bon. matern. junct. §. pen. f. de Usufr.; Jure Sax. verò usque ad propriæ familiæ institutionem retinet. CARPZ. p. 2. c. 10. d. 7. SCHNEIDER. ad §. 10. de Action. n. 2. Sed hæc liberè fiunt, si Sponsus sit Paterfamilias; Coeterum si est filiusfamilias, de peculio castrensi & quasi & adventitio irregulari quidem hanc Morgengabam pro Iubitu constituit. l. 6. C. de bon. qv. lib. l. pen. §. 2. C. de Usufr. junct. l. 2. C. ad SCt. Maced. Nov. 112. cap. i. §. 1. De profectitio & adventitio regulari verò non aliter quam Patris accedente consensu. l. 7. ff. de don. junct. l. 74. ff. d. R. f.

#### TH. VII.

Circa Sponfam itidem notandum, nil quicquam interesse, Virgo sit an Vidua, minor an major, dives an inops, sive sit ex ordine Senatorum, sive Civium; Omnibus enim Morgengabæ hujus consti-

constitutionem postulare permittitur. Nam Verba Statuti generaliter sunt concepta, ideòque generaliter accipienda. A R G. l. 8. ff. de *Publ. in rem aet. modo si Patrem, Curatorem, Cognatum habeant, eosdem adhibeant in verb.* Et sey Vater oder Wormund oder Blut-Freund; Et si Vidua sit, qvæ novo Marito est nuptura, Liberis prioris Matrimonii Bona Paterna, si eorum administrationem habuit, restituat, qvod variis in locis tam strictè observatur, ut non antè copulatio novorum Conjugum permittatur, qvam si Vidua ab illis liberis se liberauerit. Ex prædictis infertur, qvod ex personæ, qvæ sponsalia celebrare nequeunt, nec facultatem hanc Morgengabam stipulandi & promittendi habeant. Unde arcemus Infantes, l. 14. ff. de *Sponsal. Furiosos.* l. 5. & 40. ff. d. R. f. eosqve, qui vel ob Consangvinitatem vel Affinitatem sponsalia contrahere prohibentur. Vid. §. l. seqq. f. de *Nupt.* & alios plures, de quibus Dd. passim.

#### TH. VIII.

Objectum materiale, sunt res in patrimonio privatorum existentes. l. 5. l. 178. l. 222. ff. de *V. S.* sive sint mobiles sive immobiles. l. pen. C. de *jur. dot.* sive numero, pondere & mensura constantes. l. 12. ff. eod. WESENE. b. t. n. 3. sive corpora sive species; futuræ & præsentes LUDWELL. ex. 6. th. 10. lit. c. Corporales & Incorporales l. 9. pr. de *donat.* LUDW. d. l. lit. b. ut puta obligatio seu actio, & Nomina debitoris l. 44. & 45. ff. de *jur. dot.* l. 2. C. de O. & A. PACIUS Isag. de *Jur. dot. n. 3.* DN. STRUV. ex 30. 1b. 6. Quantitas vero determinata non est, qvæ tamen plerumque respicit divitias Sponsi & Parentes Sponsæ, qvâ dignitate & quo honore excellant.

#### TH. IX.

Objectum formale sunt Res à Sponso Sponsæ vel Patri, Curatori, Cognato Ejus non existentibus liberis in casum futuræ mortis promissæ. Requiritur ergo 1. Res, vid. thes. præced. 2. Ut illa sit promissa. Qvod non de promissione ultronea accipendum, sed de eâ, qvæ fit ad præcedentem interrogationem, vel, qvia Verbum Promissio est Relativum, qvod ad aliud perpetuo refertur §. 16. I. de *Inutil. Stip.*; Vel qvia in nostro Statuto expressè repetitur verbum absodern/ qvod satis innuit stipulationem præcedere debere. Qvanquam non negemus, fieri

B

posse,

posse, ut citra illam rogationem fiat promissio spontanea, qvō casu, si ex parte Sponsæ seqvitur acceptatio, similiter etiam promissorem obligari constanter assurimus. Sed hoc tantum volumus, non teneri Sponsum Morgengabam constituere, nisi ea de re fiat interpellatio, cum verba Statuti illud immediate non requirant, sed arbitrio Sponsæ & personarum eidem adstantium potissimum relinquant. Fit autem Promissio vel per stipulationem vel per Pactum. Stipulatio quidem, si velint agentes, adhiberi potest, neque tamen ideo est necessaria, postquam hodie receptum, ut etiam ex pacto nudo de re certâ animo se obligandi à sciente & volente inito efficax detur Actio. V I N N. Tr. de Paclis c. 7. in fin. C A R P Z. p. 2. c. 19. d. 17. Pactum verò usitatissimum est, sub quo tamen antecedentes illos sermones, quos Tractatus vocare solent, & quibus de contrahendo s. conveniendo agitur, comprehensos nolumus: cum enim nulla hic seria, meditata aut constans adsit promissio, nullam etiam obligationem oriri posse, certum est. 3. Ut promissio fiat à Sponso, Sponsæ vel ejus Patri, Curatori, Cognato. Patri quidem, ob reverentiam naturalem, quam liberi exhibere debent. arg. pr. I. de Nupt. l. 2. ff. de Obseq. Parent. & Pair. præst. Cognato verò præcisè fieri non debet, quod observantia satis testatur. Sed Curator hujus statuti vigore intervenire debet, in tantum, ut si Sponsalia citra Ejus consensum tractentur, contravenientes poenam Relegationis incurvant per text. ibid. Desgleichen sollen den Wittwen Vormunden gegeben werden / welche / und auch die Töchter / hinter Bewust derselben sich nicht verloben sollen / bei Strafse / daß sie die Stadt Jahr und Tag meyden / und unbewußt des Raths nicht wieder kommen. Sed annon inter absentes possit conveniri de Morgengaba quæritur? Et Resp. Aff. quia in nostro Statuto præsentia Personarum præcisè non exigitur, sed dicitur solum: daß ein ieder Bürger und Einwohner die Morgengabe absodern solle / quod tam inter absentes quam præsentes fieri potest; Et licet addatur, daß dieselbe mit dem Handschlage verbürget werden solle. ex eō tamen non continuo ad præsentiam personarum inferri potest, quia promissionem stipulatā manu Procurator sufficienti mandato instructus Sponsi nomine facere, eamque si Sponsæ negotia tractet, ejus contemplatione

tione acceptare potest. 4. Ut fiat in die Sponsaliorum, auf den Tag der Verlobniss oder Ehe-Beredung. Quæ solennitas videtur esse de Morgengabæ essentiâ, cum hæc eô tempore non promissa ex postfacto non reconvalescit. Sed an post sponsalia celebrata hæc Morgengaba augeri possit, qvæstionis est? Distingendum videtur inter incrementum naturale & adventitium; ita ut recipiat quidem augmentum ex ipsa re in Morgengabam datâ vel promissa proveniens, non verò illud, qvod extrinsecus accedere solet. Differenziæ ratio hæc reddi potest, qvia naturale eandem rationem cum re principali habet, non item adventitium. Non obstat c. 42. de R. J. in 6. qvia Regula ibi proposita procedit tantum in accessorio necessario seu essentiali, non verò accidentalí. Vid. LUDW. ad l. 129. §. 1. ff. de R. J. numer. 4. Coeterum minui posse durantibus nuptiis Morgengabam, nullum habet dubium. l. 113. ff. d. R. J. 5. Interveniente, si opus Scriptura. Meritò adjicitur, si opus, cum ad hujus subsistentiam non facere videtur. l. 6. C. de dot. promiss. l. 13. C. de Nupt. WESENB. de R. N. numer. 5. Solent tamen plerumque instrumenta confici, non ut formam dent negotio, sed facilitoris probationis gratia, & ad futuram rei memoriam. l. 4. ff. de fid. instrum. l. 4. ff. de pign. Qvô sanè casu optimè facta, qvamvis extrajudicialia putamus instrumenta, qvibus testes subscriperunt Nomina, suumque Sigillum apposuerunt, tunc enim magis creditur Instrumento qvàm Testibus instrumentariis. CARPZ. p. 2. c. 47. d. 7. Et talia etiam semper solent confici ex usu Zittavensium, nisi qvod excipere velis vel infimæ sortis & conditionis homines. 6. Non existentibus Liberis. Nam si Liberi extant succedit in suam debitam partem, de qvâ latius Sect. posterior. Tandem etiam in nostro Statuto extat, ut fiat adhibitis fidejussoribus, qvod hodiè h. l. non servatur.

#### T H. X.

Ut singula evadant clariora, lubet Instrumentum, eine Heyrath's-Notul, uti vocatur, adjicere.

Im Namen der Heiligen / Hochgelobten Dreyfaltigkeit / und auf dessen Schickung / ist heute unten gesetzten Dato eine Christliche/ beständige und unwiderrufliche Heyrath geredet/ gestiftet/ und hiesiger

B 2

Stadt

Stadt Willführ gemäß placidiret und beschlossen worden / dergestalt  
und also: Es hat N. N. auf einmütiger Willigung beyderseits Eltern  
und Anverwandten/ sich mit der N. N. Herrn N. N. Jungfrau Toch-  
ter in eine GÖTE gefällige und Christliche Ehe eingelassen/ und ein-  
ander darinnen herzlich zu lieben / gebührend zu ehren / und in freunds-  
licher Einigkeit Lebenslang bey einander zu verharren / kräftiglich zu  
gesagt und versprochen.

Dierweil denn auch nach hiesigen Orts Observantz ein iedweder  
Bräutigam seine Herzliebste auf den begehenden Todes-Fall mit einer  
Morgen-Gabe zu versehen pfleget / als hat obgedachter Herr Bräu-  
tigam diesen zu Folge/ mit gutem Vorbedacht und reisser Erwegung/  
wol-ermeldter seiner künftigen Ehe-Liebste 1200. Rthl. zu einer voll-  
ständigen Morgen-Gabe aufzusezen und versprechen wollen. Der-  
gestalt / da es sich nach Göttlichem Verhängnuß zutragen sollte / daß  
Er (welches GÖTE gnädig verhüten wolle) vor seiner Liebsten/  
ehe Ihm GÖTE Leibes-Erben bescherete / mit Tod abgienge/ soll  
Sie nicht allein guten Zug und Macht haben / nach Verstreichung  
des zosten/ ernenne 1200. Rthl. von seiner Verlassenschafft und Ver-  
mögen zu sodern / zu heben / und sich auf so viel vergnügen zu lassen;  
Sondern es soll Ihr auch alles dasjenige/ was Er Ihr vor und bei  
instehender Ehe verehret und zugewendet / ohn männlich Einreden/  
nebst dem halben Hochzeit-Geschenke / abgesolget werden / und eigen-  
thümlich verbleiben.

Und damit dieses alles möge fest und unverbrüchlich gehalten  
werden / und mehr belobte Jungfer Braut / nach beschegener Copula-  
tion und ehelichen Behlager / wegen obbenennter ihrer Morgen-Gaben/  
und allen andern gethanen Versprechen versichert seyn; Als ist solche  
Ehe-Beredung zweyfach zu Papier gebracht / und so dann mit des  
Herrn Bräutigams eigenhändiger Unterschrift und angebornen Pet-  
schafft corroboriret / auch von beyderseits erbetenen Herren Beystands-  
Freunden besiegt und vollzogen worden. Datum Zittau / 1683.

N. Titius, Bräutigam.

Sempronius, als Zeuge.  
Cajus, als Zeuge.

Th. XI.

## TH. XI.

Notanter apponitur **Eine vollständige Morgengabe**/quod vocabulum hunc penes se habet effectum, ut Sponsa plenariam accipiat Quantitatem, quæ sibi adscripta & promissa. Alias enim ex singulari consuetudine receptum est, ut si in instrumento dotali scriptum sit. Will Ihr eine Morgengabe von 1200. Reichsth. versprochen haben/ omisla scil. voce vollständig/ Sponsa non totam hanc summam , sed dimidiā saltim partem, quæ h. l. esset 600. Reichsth. petere possit.

## TH. XII.

Differt igitur **Morgengabe Zittaviens.** 1. à **Morgengabe Sax.** in primo significatu vid. *tb. 4.* hoc modo. Illa constituitur inter solos Nobiles, hæc etiam inter Cives & Ignobiles. Illa datur post mortem in rebus indeterminatis jure Legis; hæc intuitu mortis in re determinata jure Statuti. 2. à **Morgengabe Sax.** in secunda significazione vid. *d. tb. 4.* Nam datur secundo nuptiarum die antequam ad mensam concubant pro flore Virginitatis. **BRUNNEM. adl. 6. C. de donat. ante nupt. n. 5.** Hæc verò non datur, sed promittitur in die Sponsaliorum. Illius dominium statim vivente marito venit ad Sponsam; ita ut quamvis præmoriatur ea, tamen transfert illud non ad Maritum sed ad proximam agnatam. **STRYK. de Jur. Viduæ Sax. in feud. c. 5. §. 2.** **Rotschūß part. 3. art. 17. n. 14. & 15.** **MÖLL. I. Sem. 32.** hujus non nisi post mortem. 3. A **Morganaticâ** seu Matrimonio ad **Morganaticam**, vel uti à **GROTIUS l. 2. de Jur. B. & P. c. 7. n. 8.** appellatur, ad **Morgengabicum** contracto, vel uti Gallicè effertur ce que l'on gaigne en cas de la mort. **STRYK. d. l. cap. ult. §. pen.** ubi Uxori Ignobili certa pecunia datur, ut eâ contentâ nihil amplius de bonis Mariti, neque ipsa, neque subsecuturi exinde liberū debeant petere. 2. **Feud. 29. STRUV. Synt. Jur. Feud. c. 9. §. 5. num. 8.** **BICCIUS Aur. Jur. Civ. Sect. I. tb. 6. lit. I.** Secus hic nulla alia conditio adjicitur, nisi post Mariti obitum defientibus liberis , quibus extantibus succedit in partem debitam. 4. A **Dote**, quæ offertur Sponso à Sponsa, ut facilius sustineat onera matrimonii. **I. 76. ff. de Jur. dot.** Hæc vicissim Sponsæ à Sponso ob futuram successionem. Illa datur à Muliere, ut apud Maritum constante Matrimonio existat, **I. 1. de Jur. Dot.** hæc à Viro , ut post mortem perpetuò penes Uxorem maneat.

maneat. 5. A Dotalitio, qvod inter Illustres ein Witthum / inter Nobiles ein Leibgeding appellatur. JOH. HERM. à SODE *Nuel. Jur. Feud. hebd. XI. pos. 3.* & constituitur à Marito nobili, etiam eō mortuo tum à Domino tum ab agnatis, Uxori, qvamvis ignobili in compensationem dotis illatæ, SCHULZ. *Syn. Inst. de donat. lit. c. STRUV. S. J. F. c. 14. tb. 9.* Et consistit in usufructu seu usuris dotis duplicatae, ita ut pro mille aureis illatis 200. aureorum redditus nanciscatur. SCHULZ. d. l. STRUV. d. l. Nimirum in materia dotalitii permittitur, ut etiam duplicata pensio, adeoqve 10. pro singulis centenis solvatur. CARPZ. p. 2. const. 22. d. 2. n. 9. qvæ consuetudo, licet usurarum legitimam quantitatem excedat, tamen vel ideo procedere judicari debet, qvandoqvidem per Constitutionem dotalitii Emtio & Venditio quodammodo reddituum ad vitam mulieris celebrari videtur. PETR. HEIGIUS *ad §. 3. J. de donat. n. 14.* Duratqve ad dies Vitæ, nec ad hæredes transmittitur. Rotschūß *p. 3. art. 2. n. 1. 8. & 15.* SPRENGER. *de dotalit. c. 7. n. 32.* Qvod tamen aliud hoc loco est, cum hæc nulla licet dote illatâ vel promissa solum à Sponso constituitur, ut post Ejus decessum non fructus qvosdam, sed totam summam acquirat, de ea ex voluntate libera disponat, eamqve ad heredes denuò efficaciter devolvat. 6. A donatione propter nuptias, olim dicta ante nuptias, *§. 3. J. de donat.* Gallicè donation en faveur de mariage. GODOFR. *ad l. 9. §. 3. ff. de Jur. dot.* Græcè antipherna, quasi contra-dos seu donatio reciproca. MOZZIUS *de donat. Rubr. Divisio donat. n. 10.* Eine Gegen-Vermachung / qvæ datur à Viro Uxori in assecurationem dotis, ut sibi nimirum magis cautum & prospectum sit de dote, & eā à Marito malè consumtā, soluto Matrimonio Uxor habeat, unde damnum acceptum emendetur. NOV. 61. c. 1. SCHNEID. *ad §. 3. J. de donat. n. 5.* Qvod secus hoc loco se habere, ex ante dictis constat. 7. A Sponsalitiæ largitate, qvæ fit inter ipsos novos Sponsos propter spem futuri matrimonii, amoris & benevolentia conciliandæ gratia. BACHOV. *ad §. 3. J. de donat.* Hæc autem ob successionem futuram. 8. Ab Arrha sponsalitia Mahlschaß / qvæ est donativum ab utroqve novorum Conjugum in symbolum, tessera ram & probationem sponsaliorum contractorum non necessitatis, qvin potius fidei & honestatis causa datum. L. 16. C. *de Episcop. audient. l. 3. & f. C.*

*E f. C. de Sponsal. Mozzius de Matrim. Rubr. de Accident. Matrim. n. 1.*  
Cujus autem formæ & materiæ sit, non interest, sive sint annuli sive  
torqvetes, &c. & ei vel ex auro, argento, gemmis &c. W E S E N B. *de*  
*Sponsal. n. 5.* Inter omnia tamen præprimis dari solet Annulus pronu-  
bus Jaworts-Ring/ *cauf. 30. c. nostrates 3. qu. 5.* qui distingvendus est  
ab Annulo Fidei Trauring / de quo vid. PETR. MOLLER. *diss. de Annul.*  
*pronub. tb. 5. n. 6.* Qvo referri simul posset Ligatura aurea seu argen-  
tea, seu ex qualibet materia, Braut-Kranz/ quam Sponsæ, cum Spon-  
salia contrahunt, in capitibus deferunt. *cauf. 30. qu. 5. c. 3.* Sed omnia  
quantum distent à Morgengabâ Zittav, ex superioribus satis col-  
ligi potest.

TH. XIII.

Circa Contraria, qvæ aliàs per se constant, imprimis me-  
retur notari hic Casus. Sponsus tam existit pauper, ut ne qvicquam  
in omnibus suis facultatibus habeat, qvod loco Morgengabæ pro-  
mittere possit, qværitur an Sponsalia queant celebrari? Et Resp. hoc  
nullum facere impedimentum, cum Matrimonium absqve Morgen-  
gaba omnino persistere possit, arg. *l. 2. C. de don. ante nupt.* imò ni-  
hilominus conficitur instrumentum dotale, qvo Sponsus omnia illa  
promittit, qvæ ex divinâ assistentiâ futuris suis laboribus, operâ &  
industriâ sit acquisitus. Was ihm GOTT auf Gnaden durch seine  
Arbeit und Müh zuwenden werde. Qvod frequentius est extra Ur-  
bem, ubi Sponsus omnia promittit, qvæcunqve vel hæreditate, vel  
donatione, vel labore impetrabit, simulqve admotis testibus, qui  
hanc promissionem stipulatâ manu confirmant.

TH. XIV.

Affinia denique ex differentiis in *tb. 12.* exhibitis, superqve  
satis constant, adeòqve plura verba de iis dicere hâc vice supersedeo.  
Et hæc de priori Sectione dixisse sufficiat.

SECTIO POSTERIOR  
De  
**MORGENGABA ZITTAV.**  
CONSTITUTA.

TH. I.

TH. I.

**H**actenus Naturam nostræ Morgengabæ, omniaq; Ejus re-  
quisita exuimus, ut nihil restet, qvam ut conjunctis viribus  
properemus ad inqvirendos Ejus effectus; Qvi, uti variæ hic  
occurrunt circumstantiæ, variis qvoq; modis sese exhibere  
solent. Ne igitur justum negligamus ordinem, videbimus, quid  
1. ante Nuptias, 2. in Nuptiis, 3. post Nuptias de  
isto effectu novi Conjuges invicem participant.

TH. II.

**I.** Ante Nuptias si moritur Sponsus, regulariter Sponsa  
nihil de Morgengaba conseqvi potest, qvippe ejus promissio se ex-  
tendat usq; ad consummationem Matrimonii: Et qvamvis obliga-  
tio invicem sit perfecta, attamen cùm sub conditione nuptiarum  
promissum sit factum, prius deberi non incipit, anteq; ea fuerit  
impta l. 8. de per. & comm. rei Vend. & ipsa Nuptiarum festivitas  
accesserit. l. 24. C. de Nupt. Adde qvod in Statutis dicatur, so folgt  
der Frau & non der Braut die Morgen-Gabe / ubi concluditur, re-  
qviri ut Matrimonium in suo genere sit perfectum, si lucrari velit  
suam Morgengabam, qvod etiam de Jure Saxonico strictè observa-  
tur. Const. Elect. 19. p. 3. Nisi velimus huc referre cum jocalibus ar-  
rham sponsalitiam, qvam licet jur. Civ. Sponsa, si Sponso aliquid hu-  
manitus acciderit, restituere teneatur, l. 3. C. de Sponsal. Jure Saxo-  
nico tamen pleno jure apud superstitem remanere testatur. CARPZ.  
p. 3. c. 19. d. 13. n. 16.

TH. III.

**II.** In Nuptiis. Ubi tamen necessariò distingvendum ve-  
nit, an Conjuges thalamum concenderint nec ne? Posteriori loco  
Casus occurrit talis. Sponsus facta solenni proclamatione & acce-  
pta per Sacerdotem benedictione jam festinat ad tori ingressum; an-  
teqvam verò id peragit, vel apoplexiâ, vel veneno, vel alio casu im-  
portuno corruptus, moritur. Qværitur an Sponsa qvid lucretur?  
Sanè Jur. Civ. res clara est, qvod idem accipiat, ac si consummatus  
esset concubitus, qvippe Consensus non concubitus facit matrimo-  
nium, per vulg. l. 30. ff. de R. 7 adeoq; conditio statim impleta est,  
cum ducta est Uxor, qvamvis nondum in cubiculum Mariti perve-  
nerit.

nerit. *l. 15. ff. de Cond. & de monst. GAIL.* *2. Obs. 80. n. 3.* At de jure Sax. res aliter se habet, qvippe ubi nulla inter conjuges valet successio, nisi consensio thalami facta fuerit. Excipiendam verò putamus illam partem dimidiā donorum, qvæ in nuptiis à convivis pro more usitato sunt oblata, qvam Sponsa ex dispositione Sax. Elect. part. 3. c. 22. rectè lucratur. CARPZ. d. c. d. 8. MÖLLER. 3. Sem. 23. n. 5. Ex adverso Sponsus suam qvoque dimidiā præmoriente illa recipit. Nam et si Maritus alias lucratur omnia ea qvæ donata sunt in nuptiis per all. *Const. 22. vers. 2.* Wo es sich zutrüge re. tamen illud explicandum est è textu Landr. *l. 3. a. 45.* ut sit Maritus & non Sponsus, qvia altera illa pars sibi obvenit ratione successionis; Nunc autem successio fieri nequit, ubi matrimonium non consummatum est, secundum *all. text.* Es muß das Braut-Bette beschritten/ und der Ehestand mit Ehelichen Beylager vollzogen seyn. SCHNEID. *de hær. qvæ ab intest.* Rubr. *de Success. inter V. & II. n. 21.* adeoqve cessante ratione constitutionis, necessario cessat effectus c. cum cessante 60. extr. *de Appell.* Et qvod ea omnia apud Zittanos observentur, nullum dubium est, qvippe aliter dispositum, non reperio in Statutis.

#### T H. IV.

Priori loco duo præcipue obveniunt Casus. 1. Sponsus instituta jam nuptiarum festivitate fit langvidus, ut cogatur sedens copulari cum sponsâ, postmodum Hæc accumbit Illi, qui tamen debitum conjugale propter imbecillitatem præstare nequit, Qv. an Sponsa altera illô mortuô die, rectè petat Morgengabam? Et paucis Resp. est affirm. Qvarvis enim qvidem Dd. Sponsam non cognitam uxorem nominent non verè sed fictè tantum talem, MÖLL. 3. Sem. 23. n. 1. adeò ut in multis locis, nisi accubitus verè secutus sit, & matrimonium copulâ carnali consummatum, nihil lucretur. SCHNEID. *ad §. 29. f. de Action. n. 109.* Vid. etiam ADRIAN. BEYER. *ad SCHULZ. Syn. de hær. qvæ ab intest.* Rubr. *de Success.* Vid. *Ign. l. c.* Contrariam tamen opinionem evincit dispositio Elect. p. 3. c. 19. ubi expressè sancitum est, copulam carnalem non reqiri, si modo ingressus tori conjugalis, veluti in qvibusdam provinciis effertur, Pulsatio Lodicis, das Bette beschlagen BESOLD. *Thes. pract. voc.* Bette/ adfuerit. SCHULZ. l. c. qvod eò etiam extenditur, ut licet unam saltem horulam accubuerit, nihilominus Sponsa omnia lucrari possit. MÖLL. d. l.

#### C

#### T H. V.



T H. V.

Alter Casus est. Sponsus acriter ægrotat, ut ipsa Sponsa vereatur vel prohibeatur ei accumbere, in peculiariter ergò apposito lecto adjacet, Qv. an jure petere possit Morgengabam? Et primò intuitu dicendum quidem quod Non, quia ad minimum præsumidebet Voluntas coëundi, quæ tamen ex diversis lectis vix colligi potest; & quia Jur. Sax. expressè extat, cum Sponsus concedit lectum Sponsæ, wenn der Bräutigam das Brautbette beschritten / ubi nulla sit mentio duorum lectorum, sed dicitur, ut in Sponsæ lecto concubitus celebretur. Quo etiam forsitan respexit Facultas Jurid. Wittenb. in Sententia ad Consultationem Civis Zittav. anno 1683. Mens. Octobr. Dierweil die Braut das Ehebette nicht beschritten/ sondern nebst eures Bruders Siechbette in einem absonderlichen Span- und Federbette etliche Stunden sich gelegen/ und so wohl die Sachsenrechte die Beschreitung des Ehebettes/ als auch die von euren Bruder auffgerichtete Chestifftung das Eheliche Beylager ausdrückl. erfodern; So ist ermeldte Braut/ die Ihr auff solchen Fall beschriebene 1200. Reichsth. zu fodern nicht berechtiget / von Rechts wegen. His tamen vix perterriti affirmativam defendere non desinimus. Nam prima ratio facile corruit, cum voluntas non sufficiat, sed ingressus tori; quid enim si utraqve persona satis valida noluerit actum conjugalem perficere? quid si Sponsus potu sic corruptus sit, ut & ipsa rations (quod sæpè accidit,) uti nequeat? an ideo sponsa suo defraudetur promisso? Quid enim si juramento confirmare velit, (quod ita in terminis etiam contigit,) ita se gesisse quod alias Virginali honestati omnino esset inconveniens. Nec majoris firmitatis est, ut 2. Sponsus & Sponsa uno lecto concubant; nam hæc Verba Saxonis non simpliciter sed extensivè sunt interpretanda, præcipue cum in textu germanico plerumq; conjunctim stant das Beylager oder Bettbeschreiten/ Const. Eleæt. 19. p. 3. SCHULZ. sup. loc. cit. in fin. ubi vox hæc disjunctiva duplicem concubandi modum ostendere videtur, daß entweder die Braut dem Bräutigam beygeleget oder das Bette beschritten werde. Quo facit 3. quod in multis locis adhuc hæc observantia vigeat, ut Conjuges distincta spondâ torum nuptialem ingrediantur. Inde Magnificus JCtorum Ordo hujus Loci in Sententia ad eandem Consultationem 1683. prædicta confirmavit. Demnach und dierweil Ihr nicht in Abrede/ daß ernante Wittwe nach obvollzogener Hochzeit in ei-

in einen/ nebst eures Francken Bruders Bette gestandenen Span- und Federbette/ dergleichen zusammen gesetzte Bette denn insgemein vor eins gehalten werden/ bey gedachten euren Bruder gelegen/ und dergestalt Ihm einmahl ehelich beygeleget worden. In solchen Fall aber/ und ungeacht der Bräutigam seiner Krankheit halber der Braut die Eheliche Pflicht nicht geleistet haben möge/ dennoch durch einmahl bescheinete Beylegung der Braut und Bräutigams das Brautbette vor sattsam beschritten geachtet/ und hierzu daß Copula carnalis zuföders darzu kommen/ in angezognen Sachsenrechte nirgends erfodert wird; So hat sich auch disfalls mehr besagte Wittwe obiger von euren Bruder ihr ausgemachte Morgengabe der 1200. Reichsth. billich anzumassen/ und mögen Ihr diese von Euch mit Bestande nicht vorenthalten werden/ B. R. W.

#### T H. VI.

Deniqve III. post Nuptias ubi aliud dicendum est , si Uxor cum Liberis, aliud si sine Liberis concurrat. De posteriori prius. Evidem Jur. Civ. antiquo nihil conseqvebatur Uxor, qvia nec ex numero Suorum nec Agnatorum erat; postea Prætor dabat ipsis bonorum possessionem unde Vir & Uxor, donec tandem Justinianus Imperator eas cum liberis in certam portionem vocaverit. Nov. 117. & Auth. præterea C. unde V. & II. Sed Jure Sax. liberis deficientibus ex omnibus Mariti bonis, collatione dotis facta tertiam partem recipit. Const. Elect. 20. p. 3. STRUV. ex. 38. 1b. 41. §. Vidue, relicto jure optionis, an velit tertiam anillata repetere. Interim hæc omnia aliter hoc loco disposita sunt, qvippe Uxor suam Morgengabam, cum iis bonis, qvæ scienter vel primitus vel ex hereditate vel donatione ad Virum attulit, nec qvicquam amplius nulla data electione petere potest, uti sonant verb. So soll Ihr von seinen Gütern folgen ihre Morgengabe ic,

#### T H. VII,

Cum dictum sit, Uxorem petere omnia illata , qværi potest, an etiam sub eâ comprehendatur Gerada? De jure Saxonico dicendum qvod Sic. SCHNEID. de bær. qv. ab intest. Rubr. de Success. inter V. & II. n. 47. & 48. Sed qvemadmodum hæc Vocabula, Gerada, Res expeditoriæ, &c. Juri Civili prorsus sunt ignota. CLAMM. Comp. t. 29. n. 4. ita ferè asserere audebo de Voce hâc Zittaviæ quoque altum esse

C 2

silenc-

silentium, ita ut plebejis rara avis, doctoribus non nisi accepta eru-  
diti nominis repetitio videatur, cum ea differentia in totum sit sub-  
lata, ut nullo habito Sexus respectu filia possit ex rebus expeditoriis,  
filius econtra ex Gerada debitam suam portionem sumere, prout hæc  
**explicat art. II.** Dieweil wir dann sub Rub. von Erb-Gällen. Qvam-  
obrem facilis erit Responsio. Nam qvia Lex statutaria de Geradâ lu-  
crandâ penitus silet, Statuta verò ad amissim sunt intelligenda, me-  
ritò statuimus nullo modo eam ad Uxorem venire posse. Neqve ju-  
vabit Uxorem, qvamvis titulo donationis eas res ad Geradam alias  
pertinentes acquisivisse prætendant, cum Maritus Uxori donare neqveat.  
**I. i. ff. de don. int. V. & II.** ita qvidem ut ipso jure nullum sit, qvod do-  
nationis causa inter Conjuges agitur. **I. 3. §. 10. b. t. & I. 52. §. 1. b. t.** WES-  
SEN. b. l. n. 5. CARPZ. 2. C. 13. d. 14. Equidem, qvod incidenter annota-  
tum volo, omnem prorsus donationem inter Conjuges prohibitam  
esse inde non colligi debet, sed ea saltem intelligenda est, qvæ est in-  
ter vivos, non verò qvæ fit mortis causa. **I. 43. ff. de don. caus. mort.**  
**I. 9. §. 2. ff. de donat. inter V. & II.** qvia in hoc tempus excurrit donatio-  
nis eventus, qvo Vir & Uxor esse desinunt. **I. 10. ff. b. t.** SCHNEID. de  
**don. caus. mort. n. 6.** Qualis donatio apud Zittanos non infreqvens  
est, & peculiari nomine vocatur das Aufgeben/ de qvo extat text. Wo  
aber Mann und Weib ihre Güter vor Richter und Schöppfen eins-  
ander haben ausgegeben und verschreiben lassen/ so soll ein solches ges-  
halten werden. Et in seqventibus und soll mit Aufgaben von Ehe-Leu-  
ten also gehalten werden dicitur, qvod Cuilibet ex Conjugibus inte-  
grum sit vel omnia bona, vel partem eorum maximam donare mor-  
tis causa, nimirum ut coram Judice & Scabinis, hodiè coram Senatu  
in propria persona fiat insinuatio. Vid. **Const. I. part. 3.** Qvod tamen  
procedit tantum, si non adsint liberi, aliud dicendum, si isti simul  
concurrent, ubi prospectum iis est, ne sua defraudentur **Legitima**  
qvæ Jur. Nat. ipsis debetur GROT. de Jur. B. & P. l. 2. c. 7. tb. 4. n. 3.  
**I. 36. §. f. C. de inoff. Test. Nov. I. pr. §. 2.** LUDW. ex. 8. tb. 8. lit. g. Le-  
gitima verò alia est respectu Patris alia respectu Matris. Nimirum  
si Pater mortis causa donare vult Uxori, necesse est, ut faciat divisio-  
nem suorum bonorum in tres partes; ubi tertia pars liberis cedit, tan-  
quam bona materna; Postea reliquæ duæ partes habentur ut totum  
in tres partes rursus dividendum, ex qvibus potest donare Uxori Unam;

ut

ut sonant verba: Ein Drittheil in die 2. Theil seiner Güter. Ex adver-  
so respectu Matris eadem partitione facta duæ partes cedunt liberis,  
tanquam bona paterna, tertiae verò partis duas rectè potest donare,  
adeòque patet Legitimam esse in bonis paternis duas tertias, in ma-  
ternis Unam. Aliud verò dicendum, si jam facta fuerit divisio, daß  
sie sich mit den Kindern gesondert haben / quod plerumque hodiè ante  
nuptias fieri solet, ubi sola saltim salva manet Legitima.

#### TH. VIII.

Cöterum ut in viam redeamus, quò favorabilius fœminis hoc  
est statutum, eò deterior sanè est Virorum conditio; Nam illæ nun-  
qvam exēunt è bonis Maritorum pauperiores, hi verò deficientibus  
liberis raro locupletiores. Qvamvis enim de Jure Saxonico Maritus  
regulariter omnia Uxoris defunctæ mobilia præter Geradam seu uten-  
silia capit, unde & Hæres mobilis appellatur, STRYK. Tr. de Success.  
ab Inst. c. 5. art. 3. §. 1. JOACH. à BEUST. Tr. de Jur. Connub. p. 3.  
cap. 5. pr. Imò omnia nomina, & pecuniam ex bonis Uxoris immo-  
bilis venditis STRUV. Ex. 38. tb. 41. Attamen nostrum Statutum  
magis sapit Jus antiquum, ubi Successio Conjugum incognita erat,  
donec ex Autoritate Prætoris post Cognatos demum ad Successionem  
vocabantur, ut supra notatum. Nam hic expressè constitutum est,  
ut maritus nihil lucretur ex bonis Uxoris, so aber die Frau eher Todes  
halben abgehet denn der Mann / so folget ihr Gut / so sie mit Bewußt  
zu ihm gebracht / ihren nechst- gebohrnen Freunden. Interim illis uni-  
cum hoc solatum, nimirum donatio mortis causa adhuc superesse  
videtur, quò etiam cauti mariti satis callidè utuntur.

#### TH. IX.

Remedia tandem ad conseqvendam hanc Morgengabam du-  
plicia præprimis deprehendimus. I. Si defunctus Maritus reliquit bo-  
na, tutissimum & optimum Uxori datur Remedium **Jus RETEN-**  
**TIONIS** per modum exceptionis usurpandum. Ut, qvemadmo-  
dum vivente Marito quasi communem omnium bonorum usum &  
administrationem habuit saltem jure familiaritatis. arg. l. 41. ff. de Acq.  
Rer. Dom. nunc maneat in usu & possessione jure retentionis, ita ut  
possit propriâ Autoritate absqve aliquâ licentiâ judicis remanere in  
bonis Mariti, donec ei de omnibus promissis plenè satisfactum fue-  
rit.

rit. WESENB. *Solut. matr. dos n. 6.* SCHNEID. *ad 9. fuerat de Action.*  
n. 32. ibique dicit: daß die Wittwe nach Absterben des Mannes auf  
den Gütern zu weichen nicht schuldig/es werde dann Ihr dagegen ihr  
vermacht Gut gegeben und eingeräumet. Et quamvis aliqui hoc Re-  
tentionis Jus ad solam dotem & bona illata restringere velint, tamen  
quod etiam hoc procedat in quavis donatione facta dotali, satis lucu-  
lenter ostendit CARPZ. p. 2. C. 25. d. 9. qui expressè addit ut hoc bene-  
ficio utantur Uxores, quæ portionem jure quovis statutario ex bonis  
defuncti mariti lucrari volunt, quippe quæ in locum dotis succedunt.  
Quæ Regula èò extenditur, ut si hæredes sint in mora, quo minus Uxor  
capiat Morgengabam, Ei interea honestis & necessariis alimentis pro-  
spicere coguntur. WESENB. d. l. SCHNEID. d. l. n. 103. seqq. II. Si nulla  
adsint bona, competit Uxori CONDICTIO EX STATUTO.  
vid. STRUV. S. J. F. c. 14. tb. 14. quæ est Actio personalis, rei  
persecutoria, stricti juris, & datur Viduæ adversus de-  
functi Mariti hæredes, ut Morgengabam promissam  
plenè sibi exsolvant. Causa Efficiens Remota est pro-  
missio Morgengabæ rite facta. Proxima, est Obligatio ex dicta  
promissione proveniens. Subjectum Activum est Uxor. Passi-  
vum Mariti hæredes, non verò Successor singularis. Objectum  
est Morgengaba promissa. Forma in jure consistit perseqvendi  
Morgengabam promissam. Causa Finalis est, ut Morgengaba  
promissa vel exsolvatur, si Quantitas, vel tradatur si species seu corpus  
in obligatione comprehenditur.

#### TH. X.

##### Libellus esto talis:

P. P. Klägerin sagt kürzlich / wie daß ihr Ehe-Mann N. N. Inhalts eines  
unterm Dato Zittau den N. Octobr. ausgerichteten Instruments Zwölffhundert Rthl.  
zu einer vollständigen Morgen-Gabe Klägerin aufgesetzt und versprochen/ dergestalt/  
da es sich zutragen sollte/ daß er vor Klägerin ohne Leibes-Erben mit Tod abgienge/  
sie nach Verstreichung des 30sten ermeldte 1200. Rthl. von seiner Verlassenschaft  
und Vermögen zu fordern und zu heben Macht haben solle. Wann dann derselbe  
ohne Leibes-Erben verstorben/ und Beflagter/ als Hæres ab intestato die verspro-  
chene 1200. Rthl. abzutragen sich verweigert; Als fodert Klägerin Recognition des  
libellirten Instruments, und bittet nach dem Erfolg zu erkennen / daß Beflagter  
die zur Morgen-Gabe versprochene 1200. Rthl. nebst denen aufgelauffenen Zinsen  
und Unkosten Klägerin zu bezahlen schuldig. Nobilissimum &c.

#### TH. XI.



## TH. XI.

Monitum *supratibef. 6.* aliam rationem esse circa Viduam qvæ cum liberis, aliam, qvæ sine liberis capessere vult. De posteriori hactenus; Necessitas igitur methodi postulat, ut nunc ultimo & qvidem paucissimis, cum hæc materia directò huc quadrate non videatur, dispiciamus de priori. Et occurrebat talis Casus: Titius & Sempronia Conjuges nanciscuntur ex Matrimonio quosdam liberos, hi verò rursus decedunt & post eos Titius. Qv. quid lucretur Sempronia? Resp. si strictè velimus loqui, omnino contenta esse debebit promissâ Morgengabâ; attamen hoc dubium sublatum est in art. Und stirbt der Mann/der sich mit seinem Weibe also vererbet hat/ & in seqq. Desgleichen muß auch mit der Frauen w. ubi expressè sancitum est, ut si modo Liberi quamvis præmortui adfuerint, Uxor in plenam hæreditatem succedat, ita ut ne minimum teneatur hæredibus Mariti extradere. Eadem etiam Successio est Mariti ac Uxor, quod constat ex verbo, Sind die Kinder vor der Frauen tod/ so bleibt das Drittheil bey des Mannes Zwenytheil. Extendendum etiam illud est ad Infantem, qui in obstetricum manibus jam mortuus est, si modo sonum ejus audire licuit, cum eô momento jam das Vererben factum, adeoque confusio & communio omnium bonorum secuta.

## TH. XII.

Tandem & ultimo duplex obvenit quæstio, 1. est, si Maritus moritur, relictis tribus vel pluribus liberis, quæritur, qvid ex bonis obveniat mulieri? Extra Electoratum Jur. Comm. succedit secundum *Autb. præterea C. unde V. & II.* ita ut existentibus tribus vel paucioribus quartam, pluribus verò civilem portionem accipiat *SCHULZ. de Hær. q. ab intest. Rubr. de Success. viduæ Ign. lit. a.* Jure Sax. Elect. extantibus literis accipit quartam omnium, suis tamen illatis, bonorum; si nulli adsunt tertiam. Qvo tamen loco licentia datur, an collatis bonis debitam portionem, an bona illata velit expetere. *SCHULTZ. d. l. STRUV. ex 38. tb. 41. vers. Viduæ.* Nostrâ autem lege statutariâ sic dispositum est, ut Mulier omnia, bona mobilia & immobilia conferat in massam hæreditatis, & postea statutariam portionem, quæ est tertia pars, sive unus sive plures adsint liberi, obtineat. Sed Qv. 2. si Maritus fuerit pauper, ut nihil ferè habuerit in facultatibus, sed omnia bona sint Uxor, an Ea necessariò obstricta sit, ut conferat hæc, neq; licentia detur,

detur, portionem vel bona illata cum Morgengabâ eligendi? Si secundum jus commune respondere velimus, omnino libera eligendi facultas surripi ipsi non posset, secundum superiora. Et memini audiisse in qvibusdam Lusatiae superioris Civitatibus, strictam hanc electionis esse observantiam, qvæ nobiscum idem ferè jus in Successione tenent; Imò splendidum apud Zittanos Caput, certum me facere voluit, qvod hæc consuetudo jamdum etiam Zittaviæ initium cœperit, atqve clarô Exemplô in praxi ventilato confirmare. Eqvidem his vix obstantibus, non est cur à communi hactenus observantiâ & statuto secedere debeamus, cum unus vel duo casus non faciant consuetudinem, sed diuturni mores consensu utentium comprobati instar legis sunt s. 9. J. dc J. N. G. & C. Imò nos non seqvimur id, qvod raro, sed qvod ut plurimum fit l. 3. seqq. ff. de LL. Qvamobrem concludimus, Uxorem omnino & necessariò omnia bona conferre debere, nec liberum esse electionem facere, licet Maritus fuerit pauperrimus. Sic enim se habent Verba: Gewinnen Ehe - Lente Kinder mit einander und Erben / so erlanget die Frau in ihrer beyder Güter den Dritten Theil/ und der Main Zwey Theil. Nunc aliquoties supra dictum est, ut Verba Statuti strictè sint exponenda, nec ullam patiantur limitationem. Cum igitur hic silentium est, de optione, etiam ut nos fileamus, convenit. Et hæc observantia hactenus in praxi semper obtinuit, ita ut sæpè factum sit, qvod Uxor 3000. Marito inferens post mortem vix 1000. rursus reelperit, qvod pluribus exemplis, vel etiam materno, si opus sit, possit stabilire. Extenditur etiam eò, ut privigni cum liberis legitimis suam petant ex his bonis paternam portionem. Qvod eqvidem Statutum nullam adeò videtur fovere iniqvitatem, cum hoc beneficium Maritos æqvè ac Uxores tangere possit; & sæpè accidit, ut Mariti sint vel fiant locupletiores, & sic etiam Uxores habent, qvod suis facultatibus adjicere queant.

### TH. XIII.

Desiderabis forsan plura, L. B. cum hæc materia tam fertilis sit, ut vel plurimæ paginæ hæc ipsâ impleri possent; sed cum constituerim non tractatum, qvæ meis studiis facile esset superior, sed disputationem paucis foliis pro consuetudine conscribere, impræsentiarum qvæq; excusatum iri confido, si pedem hoc fixero. Si igitur qvædam, præsertim in resolutione casuum minus rectè tetigerim, tuum erit pro candore ac humanitate meam ingenii infirmitatem ad culpam non trahere, sed dijudicare, in qvæntum Veritas aut Error appareat. Errare humanum in arduis voluisse sat est. Fateor sane me hoc opus conscripturum, in id sedulò incubuisse, ut omnia Morgengabæ hujus reqvista accurate indagarer. Practicorum tamen mysteria bix perqvirere licuit, ut adeò ego omni praxi adhuc destitutus me aliquibus locis lapsum esse non dubitaverim. Cæterum DEO Summo summas, qvæ possum, ex solio gratias, qvod suâ benignitate meis laboribus assistere, me in evolvendis Libris adjuvare, measq; Vires per Morbum debilitatas refocillare dignatus fuerit; Hunc Clementissimum Patrem ulterius de hotè rogito, ut in defendendâ hæc Disputatione Spiritu suo adesse velit, qvo omnia ad Sui Honorem, Patronorum & Promotorum conciliationem, meamq; temporalem & eternam Salutem succedant.

FINIS.









Ye 5089.

ULB Halle  
004 841 425

3



Sb.

b.A

ne





*L. D. B.*  
DISPUTATIONEM  
*De*  
**MORGEN-**  
**ZITTAV**  
Occasione  
*&*  
MAGNIFICO JCTORUM  
*SUB PRÆS*  
**DN. ANDREÆ**  
& Institut. Imp.  
Patroni & Doctoris  
In Celeberrima ha  
*Ad diem* OCTOBRIS A  
ab hor. VIII. a  
Sołenniter ventiland  
*AUTOR*  
**JOH. HENRICUS**  
Zittav. Pa  
LIPSIAE, Literis Ba

